

plices deprecámur : ut ánimam fámuli tui N. (Fratris nostri, *s'il est de l'Institut*), quam de hoc sæculo migráre jussisti, in pacis ac lucis regióne constituas, et Sanctorum tuorum júbeas esse consórtem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

*Pour les Frères, Parents et Bienfaiteurs :*

**D**EUS, vénia largitor, et humánæ salúis amátor : quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas. Per Dóminum, etc. *ñ.* Amen.

*Pour tous les Défunts : Fidélium, p. 116.*

*ÿ.* Réquiem ætérnam dona ei (*ou eis*), Dómine. *ñ.* Et lux perpétua lúceat \* ei (*ou eis*).

*ÿ.* \* Requiéscat (*ou Requiéscant*) in pace. *ñ.* Amen.

## LES PSAUMES DE LA PÉNITENCE

*Ant.* Ne reminiscáris.

## PSAUME 6.

**D**OMINE, ne in furóre tuo árguas me : \* neque in ira tua corripias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum : \* sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : \* sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : \* salvam me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : \* in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per singulas noctes lectum meum : \* lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus : \* inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem : \* quóniam exaudivit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudivit Dóminus deprecationem meam : \* Dóminus orationem meam suscepit.

Erubéscant, et conturbéntur vehementer omnes inimíci mei : \* convertántur et erubéscant valde velociter.

Glória Patri, etc.

## PSAUME 31.

**B**EATI quorum remíssæ sunt iniquitátes : \* et quorum tecta sunt peccáta.

Béatus vir cui non imputávit Dóminus peccátum : \* nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácuí, inveteravérunt ossa mea, \* dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : \* convérsus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : \* et injustítiam meam non abscondi.

Dixi : Confitébor advérsus me injustítiam meam Dómino : \* et tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus \* in tēpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, \* ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatione, quæ circumdedit me : \* exultátio mea, érue me á circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradiéris : \* firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus et mulus, \* quibus non est intelléctus.

In camo et fræno maxillas eórum constringe, \* qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris : \* sperántem autem in Dómino, misericordia circumdabit.

Lætámini in Dómino et exultáte, justí : \* et gloriámini, omnes recti corde.

Glória Patri, etc.

## PSAUME 37.

**D**OMINE, ne in furóre tuo árguas me, \* neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infixæ sunt mihi : \* et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : \* non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum : \* et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt, et corrúptæ sunt cicatríces meæ, \* à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem : \* tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusió-nibus : \* et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis : \* rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : \* et gémitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : \* et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei\* advérsus me appropinquavérunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt : \* et vim faciébant, qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt

vanitátes : \* et dolos tota die medítábantur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam : \* et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : \* et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Domine, sperávi : \* tu exáudies me, Dómine, Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergaúdeant mihi inimíci mei : \* et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : \* et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : \* et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me ; \* et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis detrahébant mihi : \* quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus : \* ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum, \* Dómine, Deus salútis meæ.

Glória Patri, etc.

## PSAUME 50.

**M**ISERERE mei, Deus, \* secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitudinem miseratiónum tuárum, \* dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : \* et à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognóscó : \* et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : \* ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : \* et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : \* incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérge me hyssópo, et mundábor : \* lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : \* et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte faciém tuam à peccátis meis : \* et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : \* et spíritum rectum innova in viscéribus meis.

Ne projicias me à facie tua : \* et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : \* et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : \* et impii ad te converténtur.

Libera me de sanguínibus, Deus, Deus salutis meæ : \* et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : \* et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísse sacrificium, dedíssem útique : \* holocáustis non delectáberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus : \* cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benigne fac, Dómine, in bona voluntáte tua, Sion : \* ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrificium justítiae, oblatiões, et holocáusta : \* tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri, etc.

## PSAUME 101.

**D**OMINE, exáudi oratióem meam : \* et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me : \* in quacúmque die tribulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, \* velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei : \* et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum et fœnum, et áruit cor meum : \* quia oblitus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei, \* adhæsít os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : \* et factus sum sicut nyctícorax in domicilio.

Vigilávi, \* et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : \* et qui laudábant me, advérsus me jurábant.

Quia cinerem tanquam panem manducábam, \* et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ, et indignatiónis tuæ : \* quia elevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : \* et ego sicut fœnum áruí.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmans : \* et memoriále tuum in generatióem et generatióem.

Tu exúrgens miseréberis Sion : \* quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : \* et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine : \* et omnes reges terræ glóriam tuam ;

Quia ædificávit Dóminus Sion : \* et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratióem humílium : \* et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : \* et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum.

Quia prospéxit de excélso sancto suo : \* Dóminus de cœlo in terram aspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : \* ut sólveret filios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : \* et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniēdo pópulos in unum : \* et reges, ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : \* paucitatem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoques me in dimídio diérum meórum : \* in generatióem et generatióem anni tui.

Iniútu tu, Dómine, terram fundásti : \* et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem pérmanes : \* et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : \* tu autem idem ipse es, et anni tui non defficiēt.

Filii servórum tuórum habitábunt : \* et semen eórum in sæculum dirigétur.

Glória Patri, etc.

## PSAUME 129.

**D**E profúndis clamávi ad te, Dómine : \* Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes \* in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : \* Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : \* et pro-

pter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : \* sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, \* speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, \* et copiósá apud eum redéptio.

Et ipse rédimet Israel \* ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, etc.

## PSAUME 142.

**D**OMINE, exáudi oratióem meam, áuribus pércipe obsecratióem meam in veritáte tua : \* exáudi me in tua justítia.

Et non intres in júdicium cum servo tuo ; \* quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : \* humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obsúris sicut mórtuos sæculi : \* et anxiátus est super me spíritus meus : in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : \* in factis mánuum tuárum meditábar.

Expánda manus meas ad te : \* ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me, Dómine : \* defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me : et símilis ero descendéntibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericórdiam tuam : \* quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : \* quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi : \* doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : \* propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Educes de tribulatióne ánimam meam : \* et in misericórdia tua dispédes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tribulant ánimam meam : \* quóniam ego servus tuus sum.

Glória Patri, etc.

*Ant.* Ne reminiscáris, Dómine, delicta nostra vel paréntum nostrórum : neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

## LITANIES DES SAINTS

KYRIE, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Christe, audi nos.

Christe, exáudi nos.

Pater de cœlis Deus,

Fili Redemptor mundi Deus,

Spíritus sancte Deus,

Sancta Trínitas unus Deus,

Sancta María,

Sancta Dei Génitrix,

Sancta Virgo vírginum,

Sancte Michael,

Sancte Gábriel,

Sancte Ráphael,

Omnes sancti Angeli et Archángeli, Oráte.

Omnes sancti beatórum spírituum ordínes, Oráte pro nobis.

Sancte Joánnes Baptísta, Ora.

Sancte Joseph, Ora.

Omnes sancti Patriárchæ et Prophætæ, Orát.

Miserére nobis.

Miserére.

Miserére.

Miserére.

Ora pro nobis.

Ora.

Ora.

Ora.

Ora.

Ora.

Oráte.

Oráte.

Oráte.

Oráte.

Oráte.

Oráte.

Sancte Pêtre,	Ora pro nobis.
Sancte Paule,	Ora.
Sancte Andréa	Ora.
Sancte Jacóbe,	Ora.
Sancte Joáñnes,	Ora.
Sancte Thoma,	Ora.
Sancte Jacóbe,	Ora.
Sancte Philíppe,	Ora.
Sancte Bartholomæe	Ora.
Sancte Matthæe,	Ora.
Sancte Simon,	Ora.
Sancte Thaddæe,	Ora.
Sancte Matthía,	Ora.
Sancte Bárnaba,	Ora.
Sancte Luca,	Ora.
Sancte Marce,	Ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ,	Oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini,	Oráte.
Omnes sancti Innocétes,	Oráte.
Sancte Stéphané,	Ora.
Sancte Lauréti,	Ora.
Sancte Vincéti,	Ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne,	Oráte.
Sancti Joáñnes et Paule,	Oráte.
Sancti Cosma et Damiáne,	Oráte.
Sancti Gervási et Protási,	Oráte.

Omnes sancti Mártyres,	Oráte pro nobis.
Sancte Silvéster,	Ora.
Sancte Gregóri,	Ora.
Sancte Ambrósi,	Ora.
Sancte Augustine,	Ora.
Sancte Hierónyme,	Ora.
Sancte Martíne,	Ora.
Sancte Nicolæe,	Ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres,	Orát.
Omnes sancti Doctóres,	Oráte.
Sancte Antóni,	Ora.
Sancte Benedicte,	Ora.
Sancte Bernárde,	Ora.
Sancte Domínice,	Ora.
Sancte Francísee,	Ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ,	Oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ,	Oráte.
Sancta María Magdaléna,	Ora.
Sancta Agatha,	Ora.
Sancta Lúcia,	Ora.
Sancta Agnes,	Ora.
Sancta Cæcília,	Ora.
Sancta Catharína,	Ora.
Sancta Anastásia,	Ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ,	Oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	Intercédite pr.



Propítius esto,	Parce nobis, Dómine.
Propítius esto,	Exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo,	Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto,	Lib.
Ab ira tua,	Lib.
A subitánea et improvisa morte,	Lib.
Ab insidiis diaboli,	Lib.
Ab ira et ódio, et omni mala voluntáte,	Lib.
A spiritu fornicatiónis,	Lib.
A fúlure et tempestáte,	Lib.
A flagélló terræ mótus,	Lib.
A peste, fame et bello,	Lib.
A morte perpétua,	Lib.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ,	Libera nos, Dómine.
Per advéntum tuum,	Lib.
Per nativitátem tuam,	Lib.
Per baptismum, et sanctum jejúnium tuum,	Libera nos, Dómine.
Per crucem et passióem tuam,	Lib.
Per mortem et sepultúram tuam,	Lib.
Per sanctam resurrectióem tuam,	Lib.
Per admirábilem ascensióem tuam,	Lib.
Per adventum Spiritus sancti Parácliti,	Lib.
In die iudicii,	Líbera nos, Dómine.
Peccatóres,	Te rogámus, audi nos.

Ut nobis parcas,	Te rogámus, audi nos.
Ut nobis indúlgeas,	Te rog.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris.	Te rog.
Ut Ecclesiám tuam sanctam régere et conserváre dignéris,	Te rog.
Ut domnum Apostólicum, et omnes Ecclesiásticos ordines, in sancta religióe conserváre dignéris,	Te rog.
Ut inimícos sanctæ Ecclesiæ humiliáre dignéris,	Te rog.
Ut régibus et princípibus christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris. Te.	
Ut cuncto pópulo christiáno pacém et unitátem largiri dignéris,	Te rog.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris,	Te rog.
Ut mentes nostras ad cœlestia desidéria érigas,	Te rog.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retribuas,	Te rog.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum ab æterna damnatióne erípias,	Te rog.
Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris,	Te rog.

Ut ómnibus fidélibus defúctis réquiem  
 ætérnam donare dignéris, Te rog.  
 Ut nos exaudíre dignéris, Te rog.  
 Fili Dei, Te rog.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce  
 nobis, Dómine.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exáu-  
 di nos, Dómine,  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Mise-  
 rére nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exáudi nos.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie, eléison.

Pater noster, *tout bas.*

ʒ. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

ñ. Sed líbera nos à malo.

PSAUME 69.

**D**EUS, in adjutórium meum inténde : \* Dó-  
 mine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur et revereántur, \* qui quæ-  
 runt ánimam meam.

Avertántur retrórsus, et erubéscant, \* qui  
 volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, \* qui  
 dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent et læténtur in te omnes qui  
 quærunt te, \* et dicant semper : Magnifi-  
 cétur Dóminus, qui diligit salutáre tuum.

Ego vero egénus et pauper sum : \* Deus,  
 ádjuva me.ʒ

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : \*  
 Dómine, ne moréris.

Glória Patri, et Filio, etc.

ʒ. Salvos fac servos tuos. ñ. Deus meus  
 sperántes in te.

ʒ. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.  
 ñ. A fácie inimíci.

ʒ. Nihil proficiat inimícus in nobis.  
 ñ. Et filius iniquitátis non appónat nocére  
 nobis.

ʒ Dómine, non secúndum peccáta nostra  
 fácias nobis. ñ. Neque secúndum iniquitátes  
 nostras retribuas nobis.

ʒ. Orémus pro Pontífice nostro N. ñ. Dó-  
 minus consérvet eum, et vivíficet eum, et  
 beátum fáciat eum in terra, et non tradat  
 eum in ánimam inimicórum ejus.

ʒ. Orémus pro benefactóribus nostris.  
 ñ. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus

nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen.

✠. Orémus pro fidélibus defúctis. *ñ.* Ré-  
quiem ætérnam dona eis, Dómine : et lux  
perpétua lúceat eis.

✠. Requiéscant in pace. *ñ.* Amen.

✠. Pro frátribus nostris abséntibus. *ñ.* Sal-  
vos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in  
te.

✠. Mitte eis, Dómine, auxiliúm de sancto.

*ñ.* Et de Sion tuére eos.

✠. Dómine, exáudi oratiómem meam.

*ñ.* Et clamor meus ad te véniat.

Orémus. *Oraisons.*

**D**EUS, cui próprium est miseréri semper,  
et párcere, súscipe deprecatiómem nos-  
tram : ut nos, et omnes fámulos tuos, quos  
delictórum caténa constringit, miserátio  
tuæ pietátis cleméner absólvat.

**E**XAUDI, quæsumus, Dómine, súpplicium  
preces, et confiténtium tibi parce pec-  
cátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas  
benígnus et pacem.

**I**NEFFABILEM nobis, Dómine, misericórdiam  
tuam cleméner osténde : ut simul nos, et

à peccátis ómnibus éxuas, et à pœnis quas  
pro his merémur erípias.

**D**EUS, qui culpa offénderis, pœniténtia pla-  
cáris, preces pópuli tui supplicántis  
propítius réspice : et flagélla tuæ iracúndiæ,  
quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

**O**MNIPOTENS sempitérne Deus, miserére  
ofámulo tuo Pontifici nostro *N.*, et dirige  
eum secúndum tuam cleméntiam in viam  
salútis æternæ : ut, te donánte, tibi plácita  
cúpiat, et tota virtúte perfíciat.

**D**EUS, à quo sancta desidéria, recta consi-  
lília, et justa sunt ópera : da servis tuis  
illam, quam mundus dare non potest, pa-  
cem : ut et corda nostra mandátis tuis dé-  
dita, et hóstiúm subláta formídine, témpora  
sint tua protectiõe tranquílla.

**U**RE igne sancti Spíritus renes nostros, et  
cor nostrum, Dómine : ut tibi casto cór-  
pore serviámus, et mundo corde placeámus.

**F**IDELIUM, Deus, ómnium Cónditor et Re-  
demptor, animábus famulórum famula-  
rúmque tuárum remissionem cunctórum  
tribue peccatórum : ut indulgéntiam, quam  
semper optavérunt, piis supplicatiónum  
consequántur.

**A**CTIONES nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio á te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

**O**MNIPOTENS sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænoíceis : te súpplices exorá-mus, ut pro quibus effúndere preces decre-vimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet; vel futúrum jam exútos córpore suscepit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictorúm suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæ-cula sæculórum. *ñ.* Amen.

ŷ. Dómine, exáudi oratiónem meam.

*ñ.* Et clamor meus ad te véniat.

ŷ. Exáudiat nos omnipotens et miséricors Dóminus. *ñ.* Amen.

ŷ. Et fidélium ánimæ, per misericórdiam Dei, requiéscent in pace. *ñ.* Amen.

---

## HYMNE

*Pour implorer l'assistance du Saint-Esprit.*

**V**ENI, Créator Spiritus,  
Mentes tuórum vísitá,  
Imple supérna grátia  
Quæ tu creásti pectora.  
Qui díceris Paráclitus,  
Altíssimi donum Dei,  
Fons vivus, ignis, cháritas,  
Et spiritalís únctio.

Tu septifórmis múnere,  
Dígitus patrænæ dextæræ,  
Tu rite promíssum Patris.  
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus,  
Infúnde amórem córdibus  
Infírma nostri córporis  
Virtute firmans pépeti.

Hostem repéllas lóngius,  
Pacémque dones prótinus;  
Ductóre sic te prævio,  
Vitémus omne nóxium.